

*quam in materiam. Lib. V. cap. III.* fatetur, primas demonstrationes, quæ in pluribus demonstrationibus insunt, dici, & *proprie* quidem, elementa demonstrationum. Ad quem locum bene notat *Sonerus in Commentar. pag. 283.* demonstrationum posteriorum priores demonstrationes esse elementa; priorum autem definitiones & axiomata; axiomatum terminos simplices. Commode etiam huc referre licet, quod Apostolus *Hebr. V. 12.* prima capita doctrinæ Christianæ, seu articulos fundamentales, qui catechumenis e Scriptura S. proponi solent, τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λόγων τοῦ Θεοῦ, *elementa iniiitii eloquiorum DEI*, sec. *Lutheri* versionem, die ersten Buchstaben der Göttlichen Worte appellat. Hæc autem abunde docent, 1.) *elementi* vocem semper respicere aliud, cujus est elementum; 2.) in elemento neutiquam requiri summam simplicitatem, sive ut sit indivisibile in alia specie diversa, quod *Aristoteles* alicubi requirit, sed contra usum vulgarem.

OBS. II. Quando vox στοιχεῖα aut *elementi* cum alia in genitivo casu posita jungitur, hæc posterior semper exprimit correlatum elementorum, seu id, quod ex elementis istis componitur, cujus constitutionem elementa ingrediuntur, nunquam vero objectum, quod aliquo modo circa elementa versatur, aut elementa tractat.

### Scholium.

Loquimur de eo, quod ex lege communi, convenienter indoli sermonis ab optimis quibusque dicendi magistris factum est. Atque hic observationem nostram confirmant loca omnia *Schol. Obs. I.* adducta, quibus alia plurima jungere possemus, si vel opus foret, vel operæ pretium in re manifesta. De cetero parum curamus, si forte sequiorum temporum barbaries diversum quid vitiose invexerit. Hæc enim ex antiquis corrigi, non illis legem vel dicendi, vel interpretandi statuere debet.

OBS. III. *Mundus* (ὁ κόσμος) *proprie* significat, Scripturæ S. etiam stylo, totam hujus universi machinam e terra cœloque & sideribus